

VIR CUM SACCŌ AD IULII VILLAM ADVENIT

In campō prope villam pastor est, qui mala et pira ab arboribus carpit. Ille homo est Faustinus, Iulii pastor. Is laetus est atque canit, dum mala et pira in saccō ponit. Iam is fessus est quod sol lucet. Cum saccus plenus est, Faustinus eum ipsum imponit in umeros. Quid agit iam pastor ? Is adit ad Iulii villam et ostium pulsat. Dominus, qui in peristylō est, imperat : « Aperi ostium, ostiarie ! » Ostiarius paret et ostium aperit. Itaque Faustinus in atrium intrat. In eō magnum impluvium est, sed nullae fenestrae sunt. Nunc dominus quoque in atriō est et interrogat: « Quid inest in saccō? » Faustinus respondet: « Tantum magna pira et mala rubra ! » et discedit. Iulius ēsse vult malum, ergo saccum aperit et unum malum capit. Id autem non rubrum est ; immo nigrum est ! Iulius clamat : « Ubi est improbus pastor ? » et ē villa exit. Is pastorem quaerit atque iratus est ; nam cum eum reperit, eum verberat baculō et dicit Faustinum improbum hominem esse.

In atriō Iulia Dorippaque, filiae Iulii, pilā ludunt. Puella Iulia cibum quaerit; ea enim ēsse vult. Sed saccum ante ostium videt et eum aperit. In saccō cibus est. Non modo mala, sed etiam pira in eō insunt. Puella, quae piris delectatur, pirum sumit, sed hoc pirum mordēre non potest quod nigrum est. Dorippa: « Pira nigra edi non possunt! » Iulia lacrimat quia cibum non habet.

Giada Colombo